



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum carnalis commistio sit de integritate matrimonij? 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procederet, nisi contra concupiscentiæ morbum posset aliquid efficacius remedium adhiberi. Adhibetur autem in hoc remedium per opera spiritualia & carnis mortificationem ab illis qui matrimonio non utuntur.

Ad quartum dicendum, quod contra concupiscentiam potest præstari remedium dupliciter. Vno modo, ex parte ipsius concupiscentiæ, ut reprimatur in sua radice: & sic remedium præstat matrimonium per gratiam, quæ in eo datur. Alio modo, ex parte actus eius: & hoc dupliciter. Vno modo, ut actus ad quem concupiscentia inclinat, exterius turpitudine careat: & hoc fit per bona matrimonij* quæ honestant carnalem concupiscentiam. Alio modo, ut actus turpitudinē habens impediatur, quod fit ex ipsa natura actus: quia dum concupiscentiæ satisficit in actu coniugali, ad alias corruptelas non ita incitat. Propter quod dicit Apostolus ad Cor. 7. Melius est nubere quam vri. Quamuis enim opera concupiscentiæ congregata, secundum se mala sint concupiscentiam augere, tamen secundum considerationem ordinantur, ipsam reprimunt: quia ex similibus actibus similes relinquuntur dispositiones & habitudines.

ARTIC. IV.

Vtrum carnalis commissio fit de integritate matrimonij?

377

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod carnalis commissio fit de integritate matrimonij.

Gen. 2. In ipsa enim institutione matrimonij dictum est, Erunt duo in carne una. Sed hoc non fit nisi per carnalem commissionem. Ergo est de integritate matrimonij.

¶ 2 Præterea, Illud quod pertinet ad sacramenti significationem, est de necessitate sacramenti, ut prædictum est*. Sed carnalis commissio pertinet ad significationem ¶ sacramenti, ut in littera* dicitur. Ergo est de integritate sacramenti.

¶ 3 Præterea, Hoc sacramentum ordinatur ad conservationem speciei. Sed conservatio speciei non

q. 29 ar. 1 corp. 2. ar. 2. huius q. ¶ Al. matrimonij. * lib. 4. sent. d. 26. S. R.

non potest de integritate... ¶ 4. secundum... fuit de quibus... carnalis... SED... non... non... ¶ Præ... ratione... matrimonij... carnalis... RESPO... Vna... primam... dicitur... in op... quædam... ad h... carnalis... Ad prin... integritate... rationem... Ad secu... non est d... rationem... non co... Ad ter... suum... quod finis... ratione... ¶ non de p... Ad quar... carnalem... in eo... integrit...

non potest fieri sine carnali commistione. Ergo est de integritate sacramenti.

¶ 4 Præterea, Matrimonium est sacramentum, secundum quod remedium contra concupiscentiã præfertur: de quo dicit Apost. 1. Cor. 6. quod melius est nubere, quam vri. Sed hoc remedium nõ præstat his qui carnaliter non commiscuntur. Ergo idem quod prius.

SED contra, In Paradiso fuit matrimonium. Sed ibi non fuit carnalis copula. Ergo commistio carnalis non est de integritate matrimonij.

¶ Præterea, Sacramentum ex suo nomine sanctificationem importat. Sed sine carnali commistione matrimonium sanctius, ut in litteras dicitur. Ergo carnalis commistio nõ est de necessitate sacramenti.

RESPONDEO dicendum, quod duplex est integritas. Una, quæ attenditur secundum perfectionem primam; quæ consistit in ipso esse rei. Alia, quæ attenditur secundum perfectionem secundam; quæ consistit in operatione. Quia ergo carnalis commistio est quedam operatio siue usus matrimonij, per quod factus ad hoc datur: ideo carnalis commistio erit de secunda integritate matrimonij, & non de prima.

Ad primum ergo dicendum, quod Adam exposuit integritatem matrimonij, quantum ad utramque perfectionem, quia res ex suo actu innoscit.

Ad secundum dicendum, quod significatio rei committitur est de necessitate sacramenti: & ad hanc significationem non pertinet carnalis commistio, sed ad contentam, ut ex dictis patet*.

Ad tertium dicendum, quod res non peruenit ad finem suum, nisi per actum proprium: unde ex hoc, quod finis matrimonij non habetur sine carnali commistione*, oportet quod sit de integritate secunda, & non de prima.

Ad quartum dicendum, quod ante commistionem carnalem matrimonium est in remedium, ex gratia: & in eo datur; quamvis non ex actu, qui pertinet ad integritatem secundam.

Sum. argum. est in Aug. de consensu Euag. lib. 2. c. 1. & lib. 4. sent. d. 26. S. G. vide August. lib. 22. cont. Faust. c. 8. to. 6. Et in lib. de nuptijs et concup. c. 1. & li 5. cont. Iul. c. 9. & de bono conjugali, c. 8. to. 7. q. 4. ar. 2. ad 4. et 5. Al. ostendit.

QVÆ-